

1675, ab Innocentio XII, pro Anno Sancto 1700, et a Benedicto XIII, pro Anno Sancto 1725.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad futuram rei memoriam.

Cum nos super sancti Jubilæi celebrationem a vigilia nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, et usque ad finem sequentis anni duraturam, universo populo Christiano, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christianis vere pœnitentibus, et confessis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum, nec non sancti Joannis Lateranensis et Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe basilicas visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem et veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur; cupientes ut Christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in alma Urbe nostra in fidei ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas prædictas, quo maximo fieri poterit concursu, durante eodem Jubilæo visitent, et frequentent, multorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, omnes et singulas indulgentias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, quibus ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam Sancti Joannis Hierosolymitani, domibus, militiis, ordinibus, etiam mendicantibus, congregationibus, confraternitatibus, etiam laicorum, universitatibus, et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam sæcularibus quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, numismatibus ex metallo, seu quacunque alia materia confectis tam singulariter, quam universaliter per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum, aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus, et principibus, vel aliis quacunque alia mundana vel ecclesiastica dignitate, etiam speciali nota digna fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocunque, et ex quibusvis causis, et occasionibus sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas, et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, et decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, apostolica auctoritate de eorumdem fratrum consilio, et assensu, ac potestatis plenitudine, suspendimus, et suspensas ac suspensa esse declaramus, easque, et ea eodem anno durante, nulli prodesse aut suffragari debere. Irritum quoque et inane decer-

nimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca per præsentis auctoritate apostolica præcipimus et mandamus ne interim aliæ quam indicti a nobis prædicti Jubilæi indulgentiæ sive publice, sive privatim, quovis prætextu ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio ordinarium infligendis pœnis publicentur, vel nuntientur, aut in usum demandentur. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum, et locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque exemptionibus, et indultis apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis, ac aliis quibuscunque per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem, ejusque legatos sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, et ex quibusvis causis, concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris ad effectum præmissum, hac vice duntaxat specialiter et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Et quia difficile nimis esset præsentibus quocunque ubi illis opus fuerit perferri, volumus earum exemplis etiam impressis, notarii publici manu et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ ob signatis, eandem prorsus fidem in judicio, et extra ubique locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ suspensionis, declarationis, decreti, præcepti, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo quarto, pridie nonas julii, pontificatus nostri anno primo.

P. M., card. prodatarius.

F. CARD. OLIVERIUS.

(32. Dictæ constitutioni addi mandarunt speciales notificationes seu declarationes Clementis X et respective Innocentius XII, uti supra videri possunt n. 29 et 30, ubi afferuntur per extensum; et suam etiam adhuc liberaliorem notificationem, seu declarationem addi mandavit Benedictus XIII, ut sequitur.

(33. DECLARATIO ex viva vocis oraculo sanctissimi domini Benedicti XIII, quoad in-

dulgentias in Anno sancto suspensas, facta per Fabricium Paulucci sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, et Sanctitatis Sæ vicarium generalem.

I. Ad tollendam omnem ambiguitatem, et ut fideles sint certi quoad obtinendas in Anno Sancto indulgentias, declaramus quod sub suspensione indulgentiarum in Anno Sancto non contineantur indulgentiæ concessæ altaribus privilegiatis, vel alias immediate pro defunctis. Intelliguntur autem suspensæ illæ indulgentiæ quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii.

II. Item in Anno Sancto non sunt suspensæ indulgentiæ concessæ in articulo mortis, uti nec facultas hæc aliis communicandi.

III. Præterea non sunt suspensæ indulgentiæ quæ concedi solent a cardinalibus, legatis, nuntiis apostolicis, et episcopis, sive in usu pontificalium, sive in danda benedictione, vel in alia solita forma.

IV. Nec cessant ullo modo facultates tribunalis S. Inquisitionis atque officialium ejusdem, sive ministrorum ac missionariorum ab hoc sacro tribunali, aut a sacra congregatione de Propaganda Fide, vel alias auctoritate Apostolica deputatorum. Specialiter apud mentionatos non cessant facultates absolvendi ab hæresi illos qui penitentes eandem abjurant, seque dictæ absolutionis capaces reddunt.

V. Ut etiam conservetur devota consuetudo visitandi principalia sanctuaria hujus Urbis, ac SS. Sacramentum sub comprecatione 40 horarum expositum; pariter ut stabiliaturs usus genuflexionis ad pulsum salutationis angelicæ, Sua Sanctitas concedit sequentes indulgentias.

Illi qui devote visitant septem ecclesias, aut Scalam Sanctam, vel templa ubi sunt stationes, diebus qui alias specificantur, solitas lucrantur indulgentias absque ulla diminutione.

Item, qui comitantur sanctissimum Viaticum deportatum ad infirmos, vel si fuerint impediti, saltem mittentes illum quodpiam lumen, obtinent eas indulgentias quæ alias propterea a Summis Pontificibus concessæ fuerunt.

Insuper manent adhuc in suo vigore indulgentiæ a Sua Sanctitate concessæ fidelibus qui ad sonitum campanæ mane, aut meridie, seu vespere, flexis genibus devote recitaverint *Angelus Domini*.

Finaliter illi qui visitant templa ubi habetur expositum Venerabile, et est comprecatio 40 horarum circularium, ac ordinarium (quæ horæ indicantur in publico folio a nobis exposito, et adhuc per decursum hujus Anni Sancti exponendo,) lucrantur indulgentias 7 annorum et totidem quadragenarum toties quoties id præstiterint, si tamen aliquo tempore, prout ipsis in Domino videbitur, inter preces ibidem detineantur, et confessionem ac SS. communic-

nem præmittant, vel saltem firmum propositum confitendi concipiant.

Datum Romæ, 10 jan. 1725.

F., CARDINALIS VICARIUS.

Nicolaus Antonius Canon. Cuggio, secr.

(34. Deinde ipse Bened. XIII, in bonum defunctorum post præcedentem notificationem seu declarationem concessit aliam specialissimam gratiam, quæ non legitur concessa ab antecessoribus Pontificibus; ipsi enim tempore Jubilæi Anni Sancti extra Romam suspendunt etiam pro defunctis illas indulgentias quas alias consequi valent vivi cum facultate applicandi easdem defunctis per modum suffragii. Quos equidem suos antecessores etiam ad initium secutus est Bened. XIII, in notificatione 10 januar. 1725, etc.

(35. Manente in suo vigore suspensione omnium indulgentiarum pro vivis, uti in bulla præmemorata continetur, Sua Sanctitas dat facultatem, pro hoc anno solum, omnibus fidelibus lucrandi omnes illas indulgentias suspensas pro vivis ad effectum duntaxat eas directe et immediate applicandi per modum suffragii animabus defunctorum, et non aliter. Dico omnes, id est indulgentias tam temporales quam perpetuas, tam plenarias, partiales, locales, vel personales, concessas quocunque modo per Summos Pontifices, vel per legatos apostolicos; et non solum illas quæ datæ sunt cum facultate eas applicandi pro defunctis, sed etiam omnes alias in quibus talis facultas non est apposta, ita tamen ut fiant omnia opera in earum concessione præscripta. Et hæc omnia, ut per merita Jesu Christi Redemptoris nostri ejusque sanctissimæ Matris, et omnium sanctorum, de quibus thesaurus indulgentiarum cumulatur, illæ animæ quantocius possint transire a flamma castigante (ut ait S. Augustinus) in flammam beatificantem, et cœlestem Jerusalem per suas sanctas portas intrare: ita ut præsens annus etiam pro animabus Purgatorii dici possit Annus Sanctus, et annus jucundus sanctissimi Jubilæi.

Datum 9 februar. 1725.

(36. Insuper idem Bened. XIII intra Annum Sanctum 1725 concessit quasdam extraordinarias gratias pro vivis. Ad humillimas enim preces ex specialissima gratia indulsit toti nationi Germano-Belgiæ nostri seraphici ordinis, ut in singulis ejusdem ecclesiis ab omnibus fidelibus utriusque sexus pro vivis obtineri valeant indulgentiæ plenariæ in festis S. Antonii Paduani, etc., sicut sequitur.

BENEDICTUS XIII.

Supplicationibus P. Joannis Thoni Fratrum Minorum Recollect. nationis Germano-Belgiæ in Romana curia agentis (non obstante communi indulgentiarum suspensione) pro festis sanctorum Antonii, et Francisci, ac sanctæ Mariæ Angelorum Portiunculæ nuncupatæ, in singulis ecclesiis ordinis et nationis prædictorum, etiamsi monialium, nec non oratoris missionum prædicti ordinis, omni-

bus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex supradictis ecclesiis, seu oratoriis, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum exstirpatione, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino consequi posse benigne concessit.

Hac die 4 maii 1725.

Cosmus de Hieronymis, secr.

(37. Advertendum tamen est quod istæ specialissimæ gratiæ, utpote extraordinariæ, non extenduntur ad alios Annos Sanctos, nisi similiter sic subsequentes Summi Pontifices concedant aut declarent, ut recte advertit eruditissimus P. Massæus Kreslinger in addit. ad Theol. Moral. P. Anaclefi Reiffenst., tom. II, tract. 12, dist. 3, q. 19, append. 2, impressionis 1745, sub dat. Mutinæ, ubi omnia supra tradita diligenter refert, et erudite exornat.

(38. Novissime in lucem prodit bulla suspensiva indulgentiarum pro Anno Sancto 1750, edita a Benedicto XIV, quæ, ut ab omnibus pro exacta ejus observantia in promptu habeatur, hic ad litteram datur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

« Ad futuram rei memoriam.

« Cum nos nuper sancti Jubilæi celebrationem in hac alma Urbe a vigilia Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi proxime futuræ inchoandam, et usque ad finem sequentis anni duraturam, universo populo Christiano de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. card. assensu indixerimus, ac omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui beatorum Petri et Pauli apostolorum, nec non Sancti Joannis Lateranensis, et Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe basilicas certis vicibus visitaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem, et veniam concesserimus, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur: cupientes ut Christianæ nationes ex omnibus terrarum orbis locis in hac urbe nostra, in fidei ac religionis unitate congregatæ, eodem pietatis ac devotionis spiritu basilicas prædictas quo maxime fieri poterit concursu, durante Jubilæo, visitantes et frequentantes, tanti et tam certi spiritualis emolumenti compotes fiant; multorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum exemplo adducti, indulgentias et facultates ab Apostolicæ Sedis liberalitate alias emanatas, pro hoc anno suspendere; et nihilominus tum spiritualibus fidelium per universum orbem degentium necessitatibus paterna charitate consulere, tum pium devotionis fervorem erga laudabilia quædam religionis et pietatis opera in Christianorum

animis conservare et fovere; tum demum suffragia in fidelium defunctorum levationem atque subsidium erogare solita neququam imminuere, eorundem prædecessorum vestigiis insistentes, decrevimus et constituimus.

« Itaque præservatis et firmis remanentibus indulgentiis concessis in articulo mortis, ac facultatibus, seu indultis illas impertiendi, seu communicandi, tam venerabilibus fratribus episcopis ac dilectis filiis prælatis locorum ordinariis, in vim seu ad formam nostrarum litterarum nonis aprilis ann. 1747 editarum, quam aliis quibuscunque communiter aut personaliter, seu pro certo personarum genere, gradu aut numero, concessis, iisque pariter quas felic. record. prædecessor noster Benedictus Papa XIII, cunctis fidelibus salutationem angelicam seu alias preces de tempore mane, aut meridie, seu vespere, ad campanæ pulsationem, de genu, vel juxta dierum et temporum rationem, stando recitantibus; item indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum quam ipse Benedictus, et novissimo Jubilæi anno durante, omnibus Christifidelibus tam in Urbe quam extra eam ubicunque degentibus, qui sacramentaliter confessi et sacra communione refecti, vel saltem vere contriti, et cum firmo proposito confitendi, ecclesias in quibus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum pro oratione Quadraginta Horarum, eo anno durante, expositum esset, devote visitassent, ibique juxta sanctæ matris Ecclesiæ mentem orassent, toties quoties id egissent, benigne concessit; quamque nos etiam, illius exemplo, pro maxime ineunte Jubilæi anno, et tam pro Urbe quam pro aliis ubicunque locis præsentium tenore libenter concedimus et largimur. Atque illis etiam quas similis memoriæ Innoc. XI et Innoc. XII Romani Pontifices prædecessores nostri fidelibus sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, cum ad infirmos deferretur, devote comitantibus, vel lumen, aut faciem per alios ea occasione deferendum, seu deferendum mittentibus, similiter concesserunt; tum etiam indulgentiis a S. R. E. cardinalibus de latere legatis Apostolicæ Sedis nunciis, ac episcopis in usu seu exercitio Pontificalium, aut impertienda benedictione, aliave forma consuetæ concedi solitis; item salvis et firmis remanentibus indulgentiis altarium privilegiatorum pro fidelibus defunctis, aliisque eodem modo pro solis ipsis defunctis concessis; itemque etiam aliis quibuscunque indulgentiis et peccatorum remissionibus, alias pro vivis concessis, ad effectum duntaxat ut Christifideles illas animabus fidelium defunctorum quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, per modum suffragii directe applicare valeant; quas omnes et singulas, licet pro eo quod respicit vivorum favorem, hoc Jubilæi anno durante, generaliter, ut infra suspensas, ad prædictum tamen effectum ipsius anni decursu, etiamsi in earum concessionibus hujusmodi applicandi facultas indulta non fuerit, ab omnibus

utriusque sexus Christifidelibus, qui injuncta in ipsis concessionibus opera cum debitis dispositionibus impleverint, acquiri posse, concedimus et indulgemus.

« Præservatis etiam, et firmis remanentibus facultatibus tribunalis officii inquisitionis adversus hæreticam pravitatem auctoritate apostolica instituti, ejusque officialium, missionariorum quoque, et ministrorum, qui ab eodem tribunali, seu a congregatione venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. cardinalium negotiis Propagandæ Fidei præposita, vel alias a Sede prædicta ad id deputati fuerint; et præsertim facultate absolvendi ab hæresi illos qui, abjuratis eorum erroribus, capaces hujusmodi absolutionis redduntur; aliisque facultatibus quæ ab officio Pœnitentiariæ nostræ apostolicæ, missionariis, in locis missionum, earumque occasione, ab ipsis exercendæ, concessæ fuerint, item salvis et illæsis remanentibus facultatibus tam venerabilium Fratrum episcoporum, aliorumque superiorum antistitum, in suis respective diocesis, circa dispensationes et absolutiones suorum subditorum in casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis; prout ipsis a sacra Tridentina synodo, seu alias, etiam in publicis a jure communi ecclesiastico et ab eadem Apostolica Sede, pro certis personis et casibus indultæ præmissæque dignoscuntur, quam etiam superiorum ordinum regularium, quæcunque ipsis in regulares pariter sibi subiectos a Sede Apostolica prædicta tributæ fuerunt.

« Cæteras omnes et singulas indulgentias, tam plenarias quam non plenarias, etiam perpetuas et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi, etiam a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam in litteris die Cœnæ Domini legi solitis contentis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus et impedimentis, quibusvis ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, etiam S. Joann. Hierosolymit. domibus, militiis, ordinibus, etiam mendicantium, congregationibus, confraternitatibus etiam laicorum, universitatibus, et piis locis, illorumque ordinibus, capitulis, conventibus, magistris, superioribus, et tam sæcularibus quam quorumvis etiam mendicantium ordinum regularibus personis, coronisque, granis, imaginibus, et numismatibus ex metallo, seu quacunque alia materia confectis, tam singulariter quam universaliter per quoscunque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac etiam nos, etiam ad instantiam imperatoris, regum, ducum, et aliorum principum, aut ipsis etiam imperatori, regibus, ducibus, et principibus, vel aliis quacunque alia mundana vel ecclesiastica dignitate fulgentibus, etiam ad instar Jubilæi, aut alias quomodocunque, et ex quibusvis causis, et occasionibus, sub quibuscunque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac alias quomodolibet concessas et concessa, quorum omnium tenores, formas, derogationes, et

decreta præsentibus pro expressis haberi volumus, auctoritate apostolica de eorundem fratrum consilio et assensu, ac potestatis nostræ plenitudine, suspendimus, et suspensas ac suspensa esse declaramus, easque et ea, eodem anno durante, nulli prodesse nec suffragari debere; irritum quoque et inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

« Quocirca per præsentem auctoritate apostolica præcipimus et mandamus ne interim, præter superius expressas, aliæ quam indicti a nobis prædicti Jubilæi indulgentiæ, sive publice, sive privatim, quovis prætextu ubivis locorum et gentium sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio ordinariarum infligendis pœnis, publicentur, vel nuntientur, aut in usum demandentur.

« Non obstantibus præmissis ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, ordinum, congregationum, hospitalium, confraternitatum, universitatum, collegiorum, et locorum, aliorumque prædictorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, et indultis apostolicis illis, eorumque superioribus, et personis, ac aliis quibuscunque per eosdem Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos, et dictam Sedem ejusque legatos sub quibuscunque tenoribus et forma, ac cum quibusvis clausulis et decretis, et ex quibusvis causis concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi in illis caveatur expresse, quod sub similibus vel dissimilibus suspensionibus nequaquam comprehendantur, nisi de illis specialis et individua mentio fiat, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum præmissum, hac vice duntaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« Et quia difficile nimis esset præsentem, quocunque ubi illis opus fuerit, perferri, volumus earum exemplis, etiam impressis, notarii publici manu et sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ obsignatis, eandem prorsus fidem in judicio et extra ubique Locorum adhiberi, quæ adhiberetur præsentibus, si essent exhibitæ vel ostensæ.

« Nulli ergo, etc.

« Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo nono, sextodecimo kalendas junii, Pontificatus Nostri anno nono.

« D. CARD. PASSIONEUS. »

(39. Indulgentiam plenariam, quatenus ipsa significat remissionem totius pœnæ debitæ pro peccatis, obtineri etiam Anno Sancto a pœnitentibus in religione, recte tradit doctissimus P. Viva de Jubilæo, q. 4, art. 5, num. 1, post Sanchez lib. v. Summ., cap. 5, ex Navarr. et aliis. Et ratio est quia, ut colligitur ex sanctis Patribus, regularis

professio æquivalet baptismo, quatenus virtute maximæ satisfactionis in eo opere contentæ, dum quis sibi ac sæculo moritur, obtinet, ex opere operantis, omnem omnino remissionem, ut docet S. Thomas 2, 2, quæst. 189, art. 3 ad 3. Unde suo modo plenariam indulgentiam assequitur, quamvis non illam quam Pontifex de thesauro Ecclesiæ concedit ad plenioram securitatem. (40. Quæ doctrina valet utique etiam pro Anno Sancto, ut docet eruditissimus P. Gobat tom. II, de Jubilæo tr. 3, c. 50, n. 57, addens quod porro censet Rodriguez tom. II, qq. Regul., quæst. 88, art. 1. Indulgentiam plenariam promissam ingredientibus religionem obtinere non tantum iis qui vota religionis substantialia emittunt, sed etiam qui novitiatum ingrediuntur; (41. quod Viva l. c. scite dicit intelligendum etiam esse de iis qui post biennium novitiatum emittunt tria vota simplicia in præclarissima sua Societate Jesu, quippe isti etiam in vero statu religioso constituuntur, et ex parte sua in perpetuum moriuntur sæculo, se suaque Deo mancipantes sub obedientia superioris.

(42. Quinimo Viva loc. cit., num. 2, addit probabile videri posse alicui, ut notat Gobat loc. cit., quamvis ipse non subscribat, quod indulgentia plenaria a Pontifice concessa obtineatur Anno Sancto ab emittentibus professionem regularem, quia sicuti ex cap. *In generali* 81, de Regulis juris in 6: *In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*; ita nec in generali prohibitione (atque adeo in suspensione indulgentiarum) veniunt eæ indulgentiæ quas Pontifex in specie non esset verisimiliter suspensus: talis autem videtur esse huiusmodi indulgentia. Tum quia non obstat fini, ob quem aliæ suspenduntur, nempe ne ob id præpediatur accessus ad Urbem. Tum quia prædicta indulgentia est omnino speciali nota digna, et majori longe jure, quam ulla alia conceditur. Ast vero ego non audeam absolute negare, sicut non audeo Gobat loc. cit., quin verbis Pontificis adeo specialibus simul et generalibus comprehendatur reipsa suspensio etiam dictæ indulgentiæ pro vivis, maxime cum nunc ex concessione Benedicti XIII et XIV possit applicari pro defunctis, nisi aliter declarent successores Pontifices.

(43. Post breve tempus intra ipsum Annum Sanctum solebat alias emanare pontificia notificatio, qua declarabatur quales indulgentiæ intelligerentur in Anno Sancto suspensæ, vel non, prout patet supra num. 29 et 30, de notificationibus Clementis X et Innocentii XII, nec non num. 31, de declaratione Benedicti XIII. Ast pro novissimo Anno Sancto 1750, Bened. XIV dictas notificationes seu declarationes inseruit eidem bullæ suspensionis indulgentiarum supra allatæ, ut ibi videri potest.

(44. Intra eundem Annum Sanctum emanare consuevit nova quædam bulla, vi cuius monialibus, anachoretis, atque eremitis, nec non infirmis et carceratis, sub ipso Anno

Sancto conceduntur indulgentiæ et gratiæ magni Jubilæi, dummodo alias parati essent Romam ire ad lucrandum Jubilæum, si hoc impedimento non detinerentur, et dummodo pia Christianæ pietatis et charitatis opera ponant, ab ordinariis locorum, aut monialium, et eremitarum superioribus, vel de eorum mandato a prudente confessario, et in alma Urbe a Pontificis vicario, seu ejus vices gerente præscribenda. Et conceditur pariter in eadem bulla facultas supradictis personis eligendi confessarium, sive sæcularem, sive regularem cujusvis ordinis, ab ordinariis locorum ad id probatum, a quo possint etiam a reservari in bulla *Cenæ* absolvi. Sic tradunt Gobat loc. cit., c. 6, ubi adducit exemplar huiusmodi bullæ editæ ab Innocentio X, anno 1650, eamque in omnibus erudite explanat; et Viva loc. cit., q. 7, per varios articulos eam egregie elucidans, Franciscus van Rast. in opusculo de Indulgentiis, qu. 8; Massæus Kreslinger loc. cit., addition. 10, adducens similem concessionem etiam factam a Benedicto XIII, constit. incip. *Pontificia sollicitudo*, edita 12 januarii 1725.

(45. Attamen hucusque dicta sunt intelligenda, nisi aliter Pontifices pro tempore existentes statuerint et declaraverint, cum semper sit exacte observanda bulla laudati Pontificis Bened. XIV, tempore Anni Sancti, si quid aliud diversum a suis prædecessoribus disponat aut expresse declaret, ut in novissima supra allata constitutione ejusdem Pontificis, pro Anno Sancto 1750, in qua præservatis duntaxat indulgentiis in § *Itaque præservatis* enumeratis, et facultatibus in § *Præservatis etiam* specificatis, suspendit cæteras omnes indulgentias, tam plenarias quam non plenarias, etiam perpetuas, et peccatorum remissiones, ac facultates, et indulta absolvendi a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, seu relaxandi censuras, commutandi vota, aut dispensandi etiam super irregularitatibus, et impedimentis per quoscunque Romanos Pontifices suos prædecessores, ac etiam per se, quibuscunque tam singulariter quam universaliter, ac alias quomodolibet concessas et concessas, ut plenius, ac fusius in ipsa § *Cæteras omnes*. Vide supra omnia in ipsa statuta, et exacte observa.

(46. Subnectitur bulla emanata a Benedicto XIV, concedente monialibus, anachoretis, atque eremitis, nec non infirmis, carceratis, captivis, aliisque in ipsa specificatis, sub ipso Anno Sancto indulgentias et gratias magni Jubilæi, ut sequitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

« Ad futuram rei memoriam.

« Paterna charitas urget nos ut omnium nostrorum Ecclesiæque filiorum pia vota non tam oblata nobis benigne suscipere quam animo vix concepta prævertere, eisque recluso apostolicæ liberalitatis thesauro occurrere studeamus. Dum itaque frequentes ex omni Christiani orbis regione fideles ad

nostram hanc Urbem, et ad beatorum apostolorum limina, pro indicto a nobis imminente Anno Sancti Jubilæo consequendo, partim jam advenientes intuemur, partim venturos accipimus, ad complures alios utriusque sexus Christianifideles mentis nostræ oculos convertimus, qui non minori devotionis spiritu incensi, vel etiam animarum suarum necessitatibus impulsæ, huiusmodi iter avidè aggredierentur, nisi eos aut susceptum sanctioris vitæ propositum certis locorum spatiis affigeret, aut ineluctabilis captivitas vel corporalis infirmitas detineret. Horum nos fidei ac desiderii favere, nec non spiritalibus indigentis consulere, simulque piis precibus supplicationesque eorum omnium, inter quos evangelicæ perfectionis sequaces animæ, lectissima portio Dominici gregis, connumerantur, nostris, congregatæque nobiscum fraternitatis obsecrationibus, ad exorandam omnipotentis Dei misericordiam adungere cupientes, præsentium litterarum adjungere oportunas rationes præscribere de crevimus, per quas tam viri quam mulieres, in eremis, monasteriis, et religiosis domibus assidue vitam degentes, seu in custodiis et carceribus detenti, aut morbis et infirmitatibus procul ab Urbe impediti, etiam ad ipsam urbem non accedentes, nempe sacras apostolorum memorias, et patriarchales ejusdem urbis basilicas respective visitantes, præmissarum absolutionum concessique a nobis plenarii Jubilæi participes effici valeant.

« Ut autem nemini dubium oriri possit quænam personæ sub harum litterarum providentia comprehendantur, in primis moniales omnes, quæcunque solemnia religionis vota emiserint, et in monasteriis sub perpetuæ clausuræ legibus, sive locorum ordinariis, sive regularibus superioribus, sive Apostolicæ Sedi immediate subjectæ vivunt, earum quoque novitias, aliasque virgines, seu mulieres sæculares, educationis, aut alia de causa, cum opportunis licentiis, in eisdem monasteriis habitantes; item monasteriorum huiusmodi moniales, quæ aliquando ad elemosynas colligendas ex eorundem clausura egrediuntur; nec non oblatas in communitatibus viventes, quarum institutum ab hac Apostolica Sede approbatum existit, cum earum pariter novitias, educandis, aliisque cum ipsis conviventibus, licet rigorosæ clausuræ legibus adstrictæ non sint; Tertiarias quoque sub uno eodemque tecto collegialiter viventes, una cum earum novitias, educandis, aliisque sæcularibus personis, in earum societate viventibus, quamvis rigorosam clausuram non observent, earumque institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum aut confirmatum existit, neque pro approbato præsentis concessionis vigore, in posterum haberi debeat; ac denique puellas atque mulieres in conservatoriis degentes; quamvis nec monialium, nec Oblatarum, nec Tertiariarum numero habeantur, nec clausuræ legibus subjectæ sint tam in Urbe quam extra eam, ubique loco-

rum et gentium existentes, præsentis concessionis favoribus uti et gaudere posse volumus et declaramus.

« Item anachoretas, et eremitas, non quidem eos, qui nullis clausuræ legibus adstricti, sive collegialiter, et in societate, sive etiam solitarii, sub ordinariarum etiam regimine, certisque legibus, aut regulis obtemperantes vivunt; sed eos, qui in continua, licet non omnimode perpetua, clausura, et solitudine, contemplativæ vitæ exercitiis dediti, alter ab altero seorsim degunt, etiamsi monastici, aut regularis ordinis, et instituti professores existant, uti Cistercienses aliquot, et Carthusienses monachi, et eremita Sancti Romualdi in more habent, sub hujus concessionis amplitudine volumus comprehensos.

« Ad eos etiam utriusque sexus Christianifideles, qui in captivitate apud hostes quomodo existunt, nec non ad eos, qui ubique locorum, ex civilibus, aut criminalibus causis in carceribus tam episcoporum, aliorumque ecclesiasticorum superiorum, et tribunalium, quam sæcularium principum, et magistratum, et ad regulares, qui in carceribus claustralibus detinentur, vel quia nondum eorum causæ expeditæ sint, vel quia tempus pænæ eisdem impositæ non adhuc sit elapsum, quive ex superiorum quorumcunque præcepto, aliquem locum, aut civitatem, carceris, et custodiæ, seu exsili, et deportationis loco habent; ac demum ad eos, qui in trinemibus, seu alibi, ad opus damnati, atque addicti reperiuntur, ejusdem præsentis concessionis gratiam misericorditer extendimus. Pro iis tamen qui carceribus tribunalis sanctæ Inquisitionis inclusi ubicunque detinentur, ea, quæ paternæ providentiæ nostræ opportuna videbuntur, per organum ipsius Inquisitionis officii præscribere non omittemus.

« Denique ad infirmos pariter utriusque sexus, tam laicos quam ecclesiasticos, sive sæculares, sive cujuslibet ordinis, congregationis, et instituti regulares, qui nempe extra Urbem actu aliqua laborant corporis infirmitate, a qua juxta medicorum judicium non ita tempestive liberari poterunt ut intra ipsum Jubilæi annum ad Urbem conferre se valeant, vel qui, licet ex huiusmodi infirmitate convaluerint, non tamen sine gravi incommodo et recidivæ periculo, Romanum iter conficere possent; quive etiam habitualiter infirma valetudine utuntur, adeo ut iter huiusmodi suscipientes, in actualem facile morbum, aliudve grave corporis incommodum incidere possent; ac demum ad senes septuagenario majores, quæcunque inferius præsentibus litteris respective statuentur, spectare et pertinere volumus pariter et declaramus.

« Hos itaque omnes, et singulos moneamus, hortamur, et obsecramus in Domino, ut peccata sua in amaritudine animæ recolentes, totoque cordis affectu detestantes, salutaris penitentiae sacramento et congruis satisfactionis operibus conscientias suas expiare curent, tum ad vivificum divinæ men-